

§. 5. Quoad nominis originem nobis arridet illa derivatio, quæ nomen HERMUNDURORUM tanquam Germanorum è germanica quoque lingua deducit, ut idem sit, quasi Heer munter sive im Heer munder / vel quasi Heermann / & in plurali Heermänner sive Heermänder / quod deinde Romani ad genium suæ linguæ Latinæ terminatione conformarunt, & ipsos Hermanduros (ut illos Plinius scribit,) vel Hermunduros dixerunt. Hanc conjecturam confirmare videtur Cæsar in IV. Comm. c. 1. dum scribit: Svevorum gens est longe maxima & bellicosissima Germanorum omnium; ii centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula millia armatorum bellandi causa suis ex finibus educunt, reliqui domi manent: pro se atque illis colunt, hi rursus invicem anno post in armis sunt, illi domi remanent: imò Tacitus Annal. II. 63. & XIII. 57. Hermundurorum fortitudinem deprædicat, quâ Catts, bellicosissimum aliàs populum vicerunt magnò præliò. Et in exercitu Marcomannorum & Quadorum eosdem contra Antoninum pugnasse testis est Julius Capitolinus apud Carion, l. IV. p. 399. Quare ego libentius consentio illis, qui Hermunduris præaliis populis non minùs ad Hermiones (Svevos) pertinentibus propter nominis cognationem, prærogativam etiam quandam virtutis simul adscribunt, quàm iis, qui Hermunduros cum Hermionibus pro iisdem plane accipiunt: nisi & ipso Hermiones ab Heer Man dictos esse velis. Quamquam alii Hermionum nomen malint abs Germanicò Herdmann / vel sine Spiritu, Erdmann derivare. Quemadmodum etiam priscos Germanos id, quod terram vel regionem notat, Herthum (h. e. Herth) & sine Spiritu, Erd / ) appellitasse ipse Tacitus de M. G. c. 40. probat. Imò quod hoc ipso à Vigevonibus atque Isthævonibus distincti fuerint, ex §. præc. constat.

§. 6. Ab his autem, ut ad priora revertar, regio, quam inhabitaverunt, Hermundurorum terra primum nuncupata est. Quæ ubi sita fuerit non tantùm explicat Vellejus Paterculus, Scriptor inter Romanos non spernendus, asserens, Albim Hermundurorum atque Semnonum fines separare l. II. c. 106. conf. Cluver. Germ. antiq. III. 28. sed etiam Strabo l. VII. Geograph. non procul ab initiò Longobardos; & Tacitus de M. G. c. 42. Nariscos, Marcomannos & Quados vicinos Hermundurorum (in quibus Albis oriatur,) esse scribunt. Ex quò Hermundurorum limites intra Albim, Salam atque Sudetes Montes fuisse adparet. Hoc est, Hermunduri partem